

**Literae Regiae Maiestatis Sueciae Et Ducis Megapolitani Gustroviensis Super
Telonio Et Munimento Ad Ostium Varnae**

[S.l.], 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791683907>

Druck Freier  Zugang



13045

MK-13045.

~~MK-1170_{ca.}~~

LITTE
WILHELM
MIS
GUSTAV
LITTE
LITTE

LITERÆ
REGIÆ MAJESTATIS
SUECIÆ
ET
DUCIS MEGAPOLI-
TANI GUSTROVI-
ENSIS
SUPER
TELONIO ET MUNIMENTO AD
OSTIUM VARNÆ.

ANNO c^o l^o l^o LXI.

1770.

ALBERTUS
MAGNUS
S. THOMAS
ACQUINATENSIS
OPUS
PRIMUM
PRINCIPALIS
PRIMA
PARTIS
PRIMUM
LIBRUM
PRIMUM
CAPITULUM
PRIMUM

ANNO 1515



* * * * *

SERENISSIME AC POTEN-
TISSIME REX, DOMINE CONSANGUI-
NEE, AC AMICE CHARISSIME, PLURIMUMQ;
HONORANDE.

ET si non dubitamus, quin Regiæ Vestræ Dignitati in recenti adhuc vigeat memoria, quoties super nimis duro telonii onere, quod Civitas nostra Rostochium multos abhinc annos sustinuit, conquesti apud Eandem simus; necessitatem tamen hanc, justissimas nostras querelas hac de causa repetendi, imposuit nobis novi operis in nostro territorio prope Warnemundum exstructio, quod non ita pridem Gubernator Wismariensis, Dominus Mardefeld, terras nostras armata manu ingressus, ad expressum, uti dicit, Reg. Vestræ Dignitatis mandatum, moliri cœpit eo ipso tempore, quum persuasum nobis haberemus, nostras tot vicibus in justissima hac causa iteratas justissimas preces apud Regem justissimum locum tandem inventuras. Verum, cum Reg. Vestra Dignit. non solum desiderio Nostro æqvissimo adhucdum non attendere, sed præterea quoq; fortalitium, ad exigendum porro telonium, in territorio nostro extruendum curare voluerit, non possumus, quin contra inceptum hoc novum opus quam solemnissime protestemur, & nobis omnia jura, jurisq; remedia, adversus id ipsum hisce expresse reservemus: Regiam autem Dignitatem Vestram iterum rogemus, ut,

A 2

pro

pro sua innata generositate, pro nostra justa causa in nostram gratiam opus hoc inhibere, & Civitatem Nostram Rostochium durissimo hoc telonii onere, quod juxta ac singuli nostri subditi, cum praefecturis praesertim Nostri Ducatus, persentimus, liberare velit. Respiciat igitur Regia Vestra Dignitas petitem nostrum, quod non nisi summo jure & aequitate nititur, neque permittat, ut contra Sacri Romani imperii Constitutiones, & inveteratam inter inclytæ Svedia Reges, nostrosque Progenitores, amicitiam tali modo tractemur. Etenim certi sumus, si praesens hæc Civitatis Nostræ, omniumque nostrorum subditorum calamitas Reg. Vestrae Dignitatis aequitate & matura inhibitione sublevetur, summum ejus nomen & gloriam non parum auctum iri, & Deum insuper (justum omnium judicem) pro exhibita hac nobis justitia justum aliquando præmium Reg. Vestrae Dignitati elargiturum: Quem ex animo precamur, ut Reg. Vestram Dignitatem longissimis annis, optatisque rerum successibus beare dignetur. Dabantur ex arce nostra Gustrovii, die 19. Junij Anno 1661.

GUSTAVUS ADOLPHUS, DEI gratia Dux
Meklenburgensis, Princeps Vandalia, Suerini
& Ratzeburgi, Comesque Sverini, Terrarum Rostochii & Stargardie Dominus.

Regiæ Dignitatis Vestrae

observantissimus Conjanguineus

GUSTAVUS ADOLPHUS.

CAROLUS DEI GRATIA
SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQ;
REX ET PRINCEPS HÆREDITARIUS, MAGNUS PRIN-
CEPS FINLANDIÆ, DUX SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ,
CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI POMERANIÆ, CAS-
SUBIÆ ET VANDALIÆ, PRINCEPS RUGIÆ DOMINUS
INGRIÆ ET WISMARIÆ, NEC NON COMES
PALATINUS RHENI, BAVARIÆ, JU-
LIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM
DUX.

Illustrissime Princeps, Consanguinee & amice
charissime. Dil. Vestrae de die 19. Junij nuper præterlapsi in
Arce Gustavo datas, ante hos paucos dies accepimus, quibus
Dil. Vestra non modo de duro nimis Telonii onere, quod
Civitas ejus Rostochium multos abhinc annos sustinuit, conquæ-
ritur, sed etiam de novi, ut vocat, operis nostri prope Warn-
mundum extructione querelas suas fundit, quasi Telonii in
Territorio ejus porro exigendi causa Forralitium extruere cure-
mus: quo nomine quam solennissime protestatur, & omnia jura,
jurisque remedia sibi reservat, Nosque rogat, ut, sicuti petitum e-
jus non nisi summo suo jure & æquitate nititur, non permit-
tamus, ut contra S. R. Imperii constitutiones, & inveteratam in-
ter inclatæ Svedicæ Reges, Ejusque Progenitores, amicitiam, tali
modo tractetur, quemadmodum dictæ literæ hujusmodi pluri-
bus indigitant. Quibus ut ordine respondeatur, fatendum est,
non sperasse Nos futurum, ut in re omnium clarissima, & de
jure Nobis debita, à Dil. Vestra vel ejus domo, de qua Antec-
cessores Nostri nihil non meriti videri possint, controversia
Nobis moveretur; sed eam saltem gratiam habitura fuisset, ut,
quod Imperator de consensu totius Imperii Nobis concessisset,
ejus quietem saltem usum Nobis non invideret. Cum vero res
eo provehatur, ut beneficiis præstitis non modo nulla gratia
rependatur, sed etiam odium pro meritis referatur, adeoque ju-
ribus

sibus nostris perpetuis veluti vis palam inferatur, necessitas Nobis imponitur, id prolixius hac occasione explicandi, quod æquitas causæ nostræ meretur. Duo vero insimul hic Nobis, si controversiæ, quam Nobis Dil. Vestra facit, statum inspicimus, obijciuntur: primum, quod Ejus Subditos & Præfecturas, imprimis Civitatem Rostochiensem, Telonii onere aggravemus: deinde etiam, quod Fortalitium, tanquam novum opus, incipiamus. Ad ambo ut sufficienter reponatur, omnium primum de nostro Telonii jure, postea vero de sequenti controversiæ membro disquiramus. De priori ut veritas & meritum causæ sibi constet, extemplo ad Instrumentum Pacis Westphalicæ, tanquam ad normam & cynosuram, nobis recurrendum est. Monstratur autem ibidem evidentissimis verbis, concessa Nobis esse moderna vectigalia (vulgo *Licentem* vocata) ad litora, portusq; Pomeraniæ & Megapoleos, jure perpetuo; sed ad eam taxæ moderationem reducenda, ne commercia in iis locis intercidant. Qui paragraphus, quanquam nulla sua vocula obscurus esse videatur, ut tamen à Dil. Vestra melius intelligatur, nonnulla, veritatis eliciendæ & roborandæ causa, putavimus hic representanda esse. Ea vero consistunt in ipsius paragraphi sede & loco, qui hic merito ad genuinum ejus intellectum venit considerandus; tum in verbis ipsis, quæ utiq; sunt apertissima; & deniq; acuitatis in tractatu, tam circa concinnationem satisfactionis Svedicæ, quam postea insolennibus ipsius Tractatus actibus.

Quod locum concernit, mox observandum venit, præmissa, & in præcedentibus paragraphis Articuli X. Instr. Pacis concessa, pro Svecis non fuisse insufficientem & plenam Satisfactionem recensita & agnita, ac proinde nonnulla velut additamenta & auctaria fuisse apposita, interq; ea Telonii hanc concessionem fuisse numeratam, quæ defectum superiorum supplere juvaret. Est ergo hujus paragraphi locus ab ipsius Civitatis & Portus Wisuariensis concessione, quæ in paragrapho secundo, *Imperator*, exprimitur, singulariter distinctus; ut inique plane

plane, adeoq; finistre agant, qui eundem sic explicant, ut vectigalia tantum intelligenda esse in locis cessis, eaq; ad Wismariensem Portum ita restringenda censent, ut pro restitutione locorum, in bello à Svecis tunc occupatorum, & Pacis obtinenda causa acquisito præterea ad reliqua littora & portus Megapoleos jure nostro nos privare contendant. Plane ii quidem contra veritatem paragraphi pugnant, quandoquidem porro in ipsis paragraphi verbis clarissime conceduntur moderna vectigalia, hoc est, omnia ea, quæ tempore belli ad omnia Littora & Portus fuerunt imposita, aut imponi potuerunt. Horum verborum perspicuitate nihil omnino esse potest dilucidius: explicatur tamen præterea per verba pluralis numeri, ad Littora nempe & Portus, non duorum tantum, Wismariensis & Warnmundensis, ut initio hujus negotii tractabatur, nec etiam solius Civitatis Wismariensis, quæ cum sui Portus liberrima dispositione in superiori paragrapho separatim concessa fuit, sed Megapoleos in genere, & ne meritis Regni Sveciæ in tranquillitatem communem, adeoq; Domum Megapolitanam, fraus fieret, cum manifesta sua extensione ultra loca in Megapoli cessa: adeo, ut nullum Littus aut Portus Megapoleos hodie sit, vel dehinc commerciis exercendis institui possit, qui non nobis & Regno Sveciæ vigore hujus paragraphi vectigal debeat. Accipienda enim sunt verba ob compensationis favorem (quo modo de hoc jure merito hic loquendum est) in populari suo sensu & propria significatione, nec restrictio ulla admittenda est, nisi, quæ in Instrumento Pacis expresse ostendi, aut ibidem admissa probari possit. Etenim, si talis restrictio, vel exceptio admissa fuisset, ejus utiq; vestigium aliquod in unica nostra regula & norma, hoc est, publicæ Pacis tabulis, quæ à tot Interessentibus, & in conspectu totius Europæ, condebantur, omnino appareret: nunc vero deficiente tali clausula salvatoria, cujusmodi in Instrumento Pacis alias non est, ubi justa & necessaria visa est, non solennis & frequentissima, mirum est, Dilectam Vestram velle imaginaria & mentali quadam exceptione manifestum Nobis & in Legibus Pacis radicatam jus restringere & disputare.

putare. Notum quidem est, post perfectionem & subscri-
ptionem negotii Satisfactionis, æquivalenti etiam Ducibus Me-
gapoleos proviso, nonnullos Mechlenburgicos Deputatos (ac
inter eos præcipue Rostochiensem) tam per se, quam per alios,
non quidem in modum contradictionis, sed amicæ commen-
dationis, Legatis Sveticis persuadere conatos esse, ut para-
graphus *Ad hæc &c.* ita secundum sensum eorum formaretur, ut
vehigalia in locis tantum cessis caperentur: sed, tum post sub-
scriptum Satisfactionis Pun&um Legatis Sveticis integrum non
esset quicquam immutare, nec talis immutationis, postquam
Domus Megapolitana reddito æquivalenti paulatim sedaretur,
ulla subesset ratio, nihil, ac ne tum quidem, cum Instrumen-
tum Pacis suis jam partibus integratum omnibus prælegeretur
(unicuiq; tamen copia facta de suis necessariis admonendi) vel
subscribtione facta communicaretur, amplius, quod ad effec-
tiam rei aliquid faceret, motum est quippiam. Cum ergo &
Sede ipsa in Instrumento Pacis, à Concessione Wisuariensis
Portus diversa, hoc jus Nobis ut supra additum quoddam con-
cessum sit, verbis vero tam liquidis, ut nec clausula exceptio-
nis ulla conspiciatur, nec circa Tractatum contraria conantibus
ullus relictus sit locus; credimus, hinc satis liquere veritatem
paraphrasi & qua æquitate Dil. Vestra protestetur, juraq; Telo-
nii nostri ad Littora & Portus Megapoleos sua contradictione
impedire insistant, ac ad summum quoddam jus suum, quod per
se, in suo contradictorio, nullum apparet, in literis suis tanto-
pere provocet. Justior omnino Nobis causa subest, de iniqui-
tate Domus Megapolitanæ, & imprimis Civitate Rostochio, que-
rendi, quod, videntes causæ nostræ justiciam, eidem tamen,
Principalium Paciscentium conventionem & totius Imperii judi-
cio & consensu æquissimæ judicatæ, nihilominus immutare &
detrahere, & quantum in iis est, tranquillitatis publicæ custo-
diam & usum, quæ in uniuscuiusque Instrumento unice requiescit,
concutere aggrediantur, ducto tantum argumento à tolerabili-
bus quibusdam suorum Subditorum incommoditatibus: cum
æquum potius sit, ut respiciant, quid à nobis jure fiat, & quid
Nobis

Nobis per Pacem competat; quam, quod ipsorum Subditis ex integro usu fiet. Cautum vero est Pacis publicæ Legibus, adeoque à Nobis danda opera, ne per immoderatam taxam Commerciorum intercidant, quin, quo fuerint frequentiora, hoc juri nostro majoribus commodis conducerent.

Nunc igitur, ex quo, quod demonstrandum fuit, Juris nostri Vestigium, ad Littora & portus Megapoleos perpetuo possidendorum, liquidissimas rationes exposuimus, ad alteram Epistolæ momentum veniamus.

Non existimamus, excidisse Dil. Vestrae memoria præteritorum nuper temporum. acta, & quanta cum modestia & amicitiae testificatione Antecessores nostri in hoc sese negotio semper gesserint: Eamque rogamus, velit apud se Dil. Vestra justa penitare lance, quanta Nobis fiat injuria, si quaecumque munimentum hoc juris nostri contra præsumptum jus suum, contra Constitutiones Imperii, & inveteratam Regum Sveciæ cum Progenitoribus Ejus amicitiam interpretetur. Etenim hoc Fortalicium non novi inceptum operis est, utpote quod ante complures annos in defensionem juris nostri, usque ad proxime præteritos ratione motuum Polonicorum tumultus, & donec de tuto exercitio istiusmodi juris certiores foremus, retinuerimus. Atque ejus rei non unica subest causa. Præterquam enim quod tenore Instrumenti Pacis & Recessus Norimbergensis sancitum est, ut Locorum restitutio tum demum fieret, cum vicissim Instrumento Pacis justa essent facta, & ad peculiare conventiones minutiora remissa obstacula complanarentur; Natura ipsa & rei ratio postulat, ut, priusquam certi simus de securo & commodo juris nostri usu, solita & in hoc tempore usitata securitate Nobis provideamus. Nunquam autem in causa fuimus ut hæc res non amice complanaretur; imo multis vicibus Antecessores Nostri pronos se exhibuerunt ad justam compositionem. Per Dil. Vestram atque Ejus Consortes hæcenus stetit, quo minus votis nostris & Antecessorum Nostrorum ex senten-

tia succederet; quandoquidem & tempore Serenissimæ Reginæ
CHRISTINÆ, & Divi Parentis nostri, Regis CAROLI
GUSTAVI, frequenter omnino actum est de horum obstacu-
lorum remotione: & quanquam res videretur exiguæ difficul-
tatis, hætenus tamen non licuit id obtinere, quin iniquo quoque
tempore nostro, cum tot hostibus premeremur, desuper ea
nobis à Rostochiensibus illata est injuria, ut eorum & consilio
& auxilio (atque, ut vulgatum est, certis etiam Subsidiis suis)
Fortalitiū, quo ad tuendum jus nostrum, donec aliud mutu-
um statueretur, usi sumus, solo æquaretur: non alio fine, quem-
admodum illorum literis proditum est, quam, ut destructione
Fortalitiū facta jus Telonii contra planissima Instr. Pacis verba
Nobis pariter everterent; aut: si Leges & Fides publica id mi-
nus permitterent, saltem hoc efficerent, ut, quod Nobis jus ac-
quisitione perquam magnis constitit impensis, majoribus de-
hinc defensione & usu ipso constaret. Sed Pace Olivenfi cum
nihil in Imperii Romani rebus immutatum sit, controversiæ ve-
ro ejus in pristinum statum reverterentur, locaque priora, tam in
Megapoli, quam Pomerania, Art. 22. Nobis restituerentur, utique
sine prævia communicatione Nobis licuisset, pristinam, unde
per iniquitatem temporis, & injuriosam Rostochiensium coopera-
tione, Præsidium Nostrum eiectum fuit, occupare possessionem,
donec de Loco exigendorum Vectigalium rite conveniretur. Ali-
um enim, quam Warnemundum, ut Cæsareani restituerent, nul-
lus in Megapoli locus occupatus erat.

Sed vero, ut omnia amicabilia prius experiremur, eamque,
quam cum Vicinis par est colere, amicitiam requireremus, hoc
cedimus propinquitati communi, ut per Tribunalis Wismarie-
nsis Protonotarium Fridericum Pascaviuxi rursus id flagitare-
mus, quod alias rei ratio Nobis decrevit.

Nihil autem aliud requisivimus, quam ut Locus Nobis de-
signaretur, ubi dicta Telonia tuto & commode exigi possint, & de
hac re tandem finaliter dispensaretur.

Tam-

Tantum vero abfuit, ut talis propofitio in animum Dil. Ve-
ftræ admitteretur, ut ingrata potius deprehenderetur, adeo, ut
non modo iuftiffimæ requifitioni noftræ nulla omnino gratia fie-
ret, fed & hoc ageretur, ut ipfum jus noftrum in periculo confi-
tueretur. Ergo faciendum utiq; fuit, ut juris noftri exercitio an-
tiqua tuitione confuleretur.

Optaffemus, Roftochienfes hanc Nobis neceffitatem non
impofuiffe, ut destructione Veteris Fortalitii ad la bores & impen-
fas noftras nos cogere, fumptibus noftris utilius fuiffet consul-
tum: Nunc vero fuper illatam Nobis injuriam, & pragmaticæ
Imperii Conftitutionis contemptum, hujus infuper incommodi
Nobis caufa fuerunt. Superessent per DEI gratiam mediæ, quæ
vindictæ copiam facere poffent; fed, quemadmodum Fortalitii
reparatione nihil aliud intendimus, quam ut Navigantium debi-
tum folvatur, & juris noftri aliqua ratio habeatur, ita hisce pro-
fitemur & proteftamur, Nos quoq; nihil contra tranquillitatem
publicam molituros, nec contra Imperii Rom. Conftitutiones
aliquid commiffuros effe, aut antiquius habituros quidpiam, quam
præfcripto Instrumenti pacis tenaciter inhære. Quod vero an-
tiquam inter Antecessores Noftros, Reges Sveciæ, & fuos Proge-
nitores amicitiam recordari amet, hoc quidem auditu & percepti-
one Nobis eft jucundum, ac eandem quidem Nos etiam, ut & ne-
ceffitudinem fanguinis, aliq; amici animi pignora magni omni-
no facimus, nec charius aliquid habemus, quam eandem, à Ma-
joribus Noftis mutuis Officiis & beneficiis traductam, in pofteros
transmittere poffe: & fi virtutem Dil. Veftræ conjecturâ affequi
licet, fas eft, ut credamus, apud Eandem adhuc oblivione non
deleta effe merita Regum, G U S T A V I A D O L P H I Pa-
tris, & Filix ejus C H R I S T I N Æ, in Domum Megapolita-
nam. Judicet Orbis, utrum aliqua Domui Veftræ amicitix ar-
gumenta declaraverint. Sane, fi mortalium vices animo altius
reputare fuffrauerit, caufam hanc dubie habitura eft, cur antiqua
beneficia grati memoria animi replicet.

Non liber eadem nunc repetere, saltem cuperemus, Dil.
Vestram in memoriam vocare velle, quanto cum periculo & sum-
ptu Regni nostri Dil. Vestrae Patri & Patruo Ducatibus suis eiectis,
cum Princeps alius in locum eorum esset investitus, restitutionem
procuraverint. Si in vicem memoris animi Telonii jus amplissi-
ma sua extensione Antecessoribus & Regno Nostro sponte obtu-
lisset, haudquaquam in debitam meritis gratitudinem eandem
peccasse quispiam à studio partium paulo remotior facile dixerit.
Eam tamen ubiq; adhibitam esse ab hac parte moderationem &
benignitatem ipsa, necesse est, fateatur, ut non modo pristinae suae
Dignitati Domus Ejus restituta sit; sed etiam, ne periisse ei quidpi-
am conquerendi causam haberet, sub titulo æquivalentis, duo-
in super hæreditarii Principatus, totidemq; Commendæ, bina ad
Albim vectigalia, bini Canonicatus, & superpondii loco ducenta
Thalerorum Imperialium millia addita sunt; non ullo de publica
re Domus Vestrae merito, sed, ut Regni Sveciæ benignitatem &
locupletem compensationem experiretur, ac patientius ferret,
quæ nobis & Regno Nostro concessa essent exigua ad Ducatus sui
Littora & Portus Vectigalium Jura. Cum itaq; hisce meritis,
hocce periculo & impensis jus nostrum acquisitum sit, atq; in Le-
gibus pacis sub cautione fidei publice palam fundetur, alienum
utiq; à justitia nemo equanimis censuerit, si illud, quod perpetuo
nobis datum est, porro exerceamus, & consueto modo, donec
aliter convenire licuerit, conservare & manu tenere persistamus:
Pollcemur tamen, & denuo atq; ultro hisce Nos offerimus,
sicuti in tuitu alio nullo Fortalitii possessionem circa Warnemun-
dum, quam ob tutionem juris nostri, recuperamus, ita simul à
Dil. Vestra & ab Ejus Domo facta Nobis de eo controversia mu-
tua transactione sic cessaverit, ut in certo, aliquo loco vectigalia
tuto & commode exigi possint, Nos idem Fortalitium destru-
ctum rursus evacuare, atq; seposita de hunc omni inutili inter Vi-
cinos & Consanguineos contentione, amicitiam, tot retro secu-
lis Nostros Antecessores Reges Sveciæ inter & Progenitores Dil.
Vestrae non sine commodis maximis cultam, eodem tenore &
decentibus studiis porro prosequi velle: Idq; facturi sumus tanto
pro-

propensius, quanto & vicinas utriusq; nostrum Ditiones & Sanguinis maxime necessitudinem Nos eo per Officiorum reciprocationem merito sollicitare intelligimus. Quibus Dil. Vestram. Divino Numini commendamus. Deditus in Arce Nostra Holmenfi, die 13. Julii Anno 1661.

Nomine altissime memoratae Sac. Reg. Majest. respectivae Filii nostri charissimi, ut & Regis ac Domini nostri Clementissimi.

HEDVVIG·ELEONORA.

Petrus Brabe, Comes Lorentz v. der Linde, C. G. VVrangel,
in VVisingberg, R. loco R. S. Marshi. R. S. Archi-
S. Drotzetus. thalassus.

Magnus Gabriel de la Gardie, Gustavus Bonde, R. S.
R. S. Cancellarius. Thesaurarius.

Edvard Ehrensteen.

SERENISSIME AC POTEN-
TISSIME REX, DOMINE CONSANGUI-
NÉE, AC AMICE CHARISSIME, PLURIMUM Q;
HONORANDE.

Responsum R. V. D^s super Telonio & Munimento ad Ostium Varni, die 13. Julii, in Regia Holmensi datum, nuperrimè recepimus, quo Nobis, statim ab initio, ne cogitanda quidem inopinatio objiciuntur, quasi in re omnium clarissima R. V. D. ti controversiam moveamus, Quod Imperator de Consensu totius Imperii, eidem concessit, ejus quietum usum invidemus; Odium pro meritis referamus, & si quæ ejus generis sunt alia, ad tenorem literarum Nos referendo. Talia ut pace R. V. D. tis dimoveamus, Nosq; decenter excusemus, sanctè contestamur, quod Nobis nunquam in mentem venerit res clarissimas negare, nec illa, quæ Imperator de consensu totius imperii concessit in dubium vocare, minus eorum quietum usum invidere, mulro minus odium pro meritis referre. Quicquid enim R. V. D. Ejusq; Antecessores de Nobis Nostraq; Domo, unquam meriti sunt, id grato animo libenter agnoscimus, & vicissim veram & sinceram amicitiam, eâ qua par erit observantia ita serio servabimus & colemus, ut R. V. D. honorem, commodum ac utilitatem, omni tempore, promovere studeamus. Speramus interea non futurum ut malè excipiatur, si merita causæ ac interesse nostri, quæ etiamnum facto publico Imperii

COR-

concluso, in instrumento Pacis radicato, surum pen-
dus habuerunt, ad id invitati, quamvis inviti, ulterius
pertractemus ac representemus; cum nemini ju-
resuo utens, injuriam inferat, salvaq; amicitia dis-
sentire liceat. Quod ut ritè fiat, est prisca proce-
dendi ratio, quam omnibus mortalibus ipsa natura
insevit, & usus comprobavit, ut qui alium quod ne-
gat, credere vult, id probet, & è principiis certis &
indubitatis evincat; Duo quæ prioribus Nostri-
s, gravaminum loco indigitavimus, Unum; quod sub-
diti nostri & præfecturæ, in primis Rostochium No-
strum, duro telonii onere premantur; Alterum;
quod novum Fortalitium extruatur, ipsa rei evi-
dencia inclarescunt atq; oculari inspectione pro-
bata sunt. Sicut itaq; aromata magis redolent,
quo magis conteruntur, ita ut & veritas prioris No-
stri gravaminis, quo magis examinatur & expen-
ditur, eo clarior in lucem progrediatur; & Nobis
ad Instrumentum Pacis Osnabrugensis, magnam il-
lam sacri Romano Germanici Imperii pragmatiam
ac Recessui Imperii incorporatam sanctionem re-
currendum erit. Quid illud? primò sit vera ac sin-
cera, amicitia inter S. R. M. Regnumq; Sueciæ & sta-
tus Imperii, Eaq; ita sincerè ac seriò servetur ac co-
latur, ut utraq; pars alterius utilitatem honorem &
commodum, promoveat. Deinde, quia publicè
interest, ut facta pace commercia vicissim reflores-
cant, ideò conventum est, ut quæ eorum præjudi-
cio, & contra utilitatem publicam, hinc inde per
Imperium, belli occasione, noviter propria au-
thoritate contra jura, privilegia, & sine consensu
Impe-

Imperatoris atq; Electorum Imperii inuenta sunt
uestigalia & telonia, omniaq; alia inusitata onera &
impedimenta, quibus commerciorum & navigati-
onis usus, deterior redditus est, penitus tollantur,
& provinciis, portibus, fluminibus quibuscunq;
sua pristina securitas, Jurisdictio & usus, prout an-
te hos motus bellicos, a pluribus retrò annis fuit,
restituuntur, & invocabiliter conserventur. Quo
articulo inst. Pac. 9. & telonium Warnemundense
hactenus sublatum esse, in Confessio est. A parte
R. V. D. tis specialitas allegatur reponunturq; ver-
ba Articuli Inst: pac: 10. Ad hæc concedit Eidem,
moderna uestigalia (vulgò **Licenten** vocata) ad lit-
tora portusq; Pomeraniæ & Megapoleos, jure per-
petuò, sed ad eam taxam moderationem reducenda,
ne commercia in iis locis intercidant. Verum enim
verò dextrè intelligunt verba contextus omnes illi
qui ea duntaxat de locis Megapoleos & Pomeraniæ
cessis, non autem de telonio Warnemundensi aliisq;
portibus Megapolitanis, si qui hodiè sint vel de hinc
commerciis exercendis institui possint accipiunt,
benè perpendendo, tum quod in Inst: pac: dispo-
situm sit, status Imperii eorumq; subditos plenariè
esse restituendos in eum statum, quo ante destitu-
tionem gavisi sunt, aut jure gaudere potuerunt
nisi aliud specialiter conventum ac ordinatum sit.
Qua de speciali ordinatione super telonio Warne-
mundensi, in Inst: pac: nullum apparet vestigium.
Tum quod generaliter in eo provisum sit, noviter
inventa uestigalia penitus esse sublata, nisi de spe-
ciali concessione satis constet, quæ evidentia rei in-
telo;

Telonio Warnemundensi deficit. Quapropter cum Cæsarea Majestas, de consensu Electorum, Principum, ac statuum Imperii, cum primis Interessatorum, Serenissimis ac Potentissimis Regibus, Regno Sveciæ, in Pomeraniâ locisq; Megapoleos celsis, antiqua vestigalia concesserit, jisq; Domini Legati Svedici contenti esse noluerint, placitum fuit, ut noviter in vecta Telonia **Sicenten** dicta, auctarii loco, celsis in locis, adderentur. Quod ut verum sit, dicitur sana ratio & genuinus textus intellectus, quam Cæsarea Majestas, Electores, Principes ac status Imperii, cum Nobis Interessatis approbant, & tali modo consenserunt, quo ad extensionem vero super Telonio ad Ostium Varni, restrictione in odiosis facile admitta, dissentiunt, Accedit si ex generalitate verborum (Pomeraniæ ac Megapoleos) firma pro obtinendo Telonio Warnemundensi fiat illatio, quod in simul sequeretur, cum in uno eodemq; paragrafo illo, proxime præcedentia verba contineantur, Præterea concedit Imperator Eisdem R. M. Sveciæ jus erigendi Academiam vel universitatem, ubi quandoq; Ei commodum visum fuerit. R. V. D. ti & concessum esse in aliorum Constantium territoriis illam erigere & fundare; sequeretur ibidem ex §. Deinde, quod R. V. D. ti liceat, in cuiusvis Constantium territoriis, summum Tribunal, cum generalibus verbis (in Germania) id permissum sit, constituere, quod à mente concedentium planè alienum est. manifestum itaq; est, cum in præcedentibus Serenissimis ac Potentissimis Sveciæ Regibus, Pomerania, Loca Megapoleos nominata, Brema ac Verda in satisfactionem cessa sunt, quod jus eri-

C

g di
en

gendi Academiam & constituendi summum Tribunal generalissime in §. §. Deinde & Præterea concessum ad loca cessa proximè præcedentia, restringendum sit; de modernis vectigalibus ex identitate rationis, idem iudicium ferendum. Articulus Inst: pac: 12. maximè quoq; rem tangit, quo tam de decessione quam accessione Rei Megapolitanæ tractatur, nimirum quod in toto contextu illo, ne legatur litera quidem, illud quod istius Telonii respectu Nobis Nostræq; domui in æstimabiliter (quasi perpetui tributarii esse deberemus) incommodare possit, Nobis decedere ac pro illa decessione condignum æquivalens constitutum esse, quod utiq; fieri debuisset vectigalibus prætersè cassis, donasse enim tanta Regalia nemo facilè præsumitur. Si quis ad concessa reflectere velit, credat Nobis, Nos ea tanti non æstimare, ut dimidiam partem & decessionis nostræ exæquent. Nec Nostræ Domus Legati Osna-brugis opus habuerunt apud Regios Legatos Svedicos, ulla hujus rei amica commendatione, neq; ad id instructi fuerunt, si quidem sine consensu nostro, æqui pollenti omni cessante, jura Nobis competentia nemini concedi possint ac debeant, neq; prælecto pacis Instrumento quidquam movere debuerunt cum intellectus Legis publicæ satis clarus sit. Credimus ex prædictis & modo sequentibus satis constare de vero ac genuino §. d. Præterea, intellectu ac justitia nostræ quam defendimus, causæ, cum ad obtinendum Telonium Warnemundense, deficiat 1. Imperatoris 2. Electorum 3. principum ac statum Imperii 4. Interessatorum consensus, quod planè ex documentis subsignatis N1. & N2. elucescit
qvibus

quibus Domini plenipotentiarum Cæsarei ac Cancellaria Moguntina nomine electorum principum ac statuum Imperii attestantur, quod nec Dominorum Cæsareanorum plenipotentiariorum, nec ordinum Imperii, mens & intentio unquam fuerit, Coronæ Svedicæ universale jus vectigalium, ad omnia littora Germanicæ omnesq; portus Pomeraniæ & Megapoleos, multo minus ad portum Warnemundensem concedere, ulterius Nos ad dicta publica Documenta referendo. Ne prætereamus Cæsaream Majestatem suis Legatis 20. Augusti Anno 1649. Noribergæ commorantibus, mandasse ac voluisse, ut vectigal Warnemundense tolleretur ac locus Civitati restitueretur, sub signato N.3. & quod in Executionis Recessu Noribergensi portus Warnemundensis ut locus perceptionis vectigalium æque ut alia loca inter evacuanda & restituenda contineatur; & jus Nostrum causæq; Justitiam, commune Imperii conclusum Ratis bonæ 16. Maij Anno 1654. extractum, sub signato N.4. luce meridianâ clarius, deducat. Alterum Nostræ Epistolæ gravamen quod attinet, Non possumus quin extructionem novi Fortalitii in territorio nostro admodum ægre feramus. Pax Olivenensis de vectigale Warnemundensi nihil disponit sed bene hoc in illâ dispositum esse legitur: Cæterum quicquid circa res Imperii controversiæ intercesserit, juxta Imperii & Pacis Germanicæ Leges, absq; strepitu armorum componetur aut decidetur & stabitur ab utraq; parte per omnia dispositioni pactorum Osnabrugensium & constitutionibus Imperii, cumq; de extruendo novo Fortalio ad Varni Ostium, in publicæ Pacis Osnabrugensis

tabulis, nihil quidquam contineatur, Judicet DEUS
utrum Nos injustam de super faciamus querelam.
Rostochientes subditos nostros, quod attinet, quan-
tum ad notitiam nostram venit in hoc telonii nego-
tio, non recordamur illos quod R. Vestrā Dignitatem
offendere possit quidquam commisisse. Interea lectu
nobis jucundum est, quod R. V. D. amicitiam, tot
retro seculis Antecessores Reges Sveciæ inter & pro-
genitores Nostros, non sine commodis maximis cul-
tam, tam Vicinatis quam sanguinis maximè necessi-
tudinis mēmor, eodem tenore & decentibus studiis
porro prosequi velle haud gravabitur. Eandem
instanter, & obnixè rogantes, ut Munimento de-
structo, Civitatem nostram Rostochium, ingenti Te-
lonii Warnemundensis onere liberare inq; pristi-
num statum restituere dignetur. Quo ipso faciet
R. V. D. rem æquitati causæ ac Ejus præcelsi nomi-
nis gloriæ consentaneam, quam omni observantia,
honorumq; cultu de R. V. D. ut mereamus, omne
studium pollicemur. Vivat R. V. D. & valeat, &
feliciter imperet, quam tutelæ Divinæ fidelissimè
commendamus. Dabantur ex arce Nostra Gustro-
vii, die 16. Septembris Anno 1661.

Num. I.

NOs infra Scripti Sacræ Cæsareæ Majestatis
Consiliarii Imperiales Aulici & ad tractatus Pacis Legati
Pleii potentiarū notum testatumq; facimus; Nos Para-
ragraphum: Ad hæc concedit, in Instrumento Pacis in articulo
Satisfactionis Svæciæ positum, semper de Vectigalibus in Locis
Coronæ Sveciæ cessis, intellexisse atq; adeo sub ista dispositione
Telonium Warnemundense non comprehendisse nec porro
comprehendere potuisse, cum istud Telonium sit prorsus novum,
nulla

nulla publica Cæsaris aut Electorum autoritate, sed solummodo occasione belli de facto iunctam, quod proinde vigore Articuli noni Instrumenti Pacis, subsecuta jam Pace tolli atq; aboleri debet: Quemadmodum sæpius id ipsum in ipso tractatu, præsertim vero in publica conferentia die vigesima secunda Julij Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo Osnabrugis præsentibus statuum Imperii Deputatis adversus Dominos Plenipotentiariorum Regios Svecios palam contestati sumus. In cujus rei fidem hanc Attestationem è protocollis nostris desumptam subscripsimus ac sigillis nostris fecimus communiri. Monasterii die prima Martii Anno Millesimo Sexcentesimo quadragesimo nono.

(L.S.) JOES MAXIMILIANUS COMES

à Lamberg propria

(L.S.) JOHAN CRANE.

(L.S.) ISAACUS VOLMAR D. mpp .

Hanc supra positam Dominorum Cæsareanorum Plenipotentiariorum Attestationem cum Electorum Principum & statuum Imperii mente, intentione & consensu, publiceq; tertio Julij, styli novi, anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Octavo Osnabrugis in puncto satisfactionis Svedicæ dictato scripto & publicis de super habitis conferentiis, etiam actis, protocollis & relationibus per omnia & in omnibus convenire, eandemq; Sacri Romani Imperii Electorum Principum & statuum mentem & intentionem super isto Civitatem Rostochiensem & ejus jura speciatim concernentè puncto semper fuisse & etiamnum esse, ex consensu supra dictorum ordinum attestatur eodem die & Anno.

CANCELLARIA MOGUNTINA

Num. 2.

Nos infra Scripti Sacræ Cæsareæ Majestatis Plenipotentiarii ad Tractatus Pacis universalis, attestamus, cum in Instrumento Pacis Germano-Svedicæ articulo

Q 3

ticulo

ticulo decimo , paragrapho Præterea concedit eidem moderna vectigalia (vulgo ſiccanten vocata) ad littera portusq; Pomeraniæ & Megapoleos Jure perpetuo; quod nec noſtra, nec ordinum Imperii mens & intentio unquam fuerit, Coronæ Svedicæ univerſale Jus vectigalium ad omnia littora Germanica omnesq; portus Pomeraniæ & Megapoleos, multo minus ad Portum Warnemundenſem concedere: Sed cum in præcedenti paragrapho primò, Totam Pomeraniam, ſaltem antiqua vectigalia conceſſa eſſent, in poſteriori etiam moderna in portibus Pomeraniæ & Megapoleos Pleni potentiarii Svedici addere poſtularant, hoc ipſum iis in Locis, qui in Coronam Sveciæ tranſlati ſunt, pacis cauſa & nihil amplius conceſſum eſt. Proinde vigore articuli noni Inſtrumenti pacis, Telonium Warnemundenſe occasione belli introductum & exercitum, ut alia nova in commerciorum præjudicium Inveſta Telonia & Vectigalia, pace jam concluſa, ceſſare, tolli atq; aboleri debet, quemadmodum ſæpius atq; diverſis vicibus in ipſo tractatu præfertim vero in publica conferentia decimo nono & vigefimo ſecundo Julij, ſtyli novi, Anno Milieſimo Sexcentefimo Quadrageſimo Octavo, Osnabrugis, præſentibus ordinum Imperii Deputatis Extraordinariis coram Dominis plenipotentiariis Svedicis, & quidem ultimo coram Domino Salvio palam conteſtati ſumus, In cujus rei fidem hanc atteſtationem Protocollis noſtris deſumptam in Civitatis Roſtochiensis & ejus privilegiorum ac Immunitatù Majorem Securitatem, propriis manibus ſubſignavimus ſigillorumq; noſtrorum impreſſione firmavimus. Actum Monafterii Weſtphalorum primo Martii Anno Chriſti milieſimo, ſexcentefimo quadrageſimo nono.

JO. MAXIMILIANUS COMES

à **Lamberg** (L.S.)

mpp.

ISAACUS VOLMAR D. mpp. (L.S.)

JOANNES CRANE, (L.S.)

Cæſareanorum Dominorum Plenipotentiariorum atteſtationem ſupra poſitam Sacri Romani Imperii Electorum Principum ſtatuum menti intentioni ac conſenſui publice; Tertio Julii

Julii styli novi, anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, Osnabrugis in po. satisfactionis Svedicæ dictato scripto & publicis de super habitis conferentis, etiam actis, Protocollis & relationibus per omnia & in omnibus correspondere eandemq; Sacri Romani Imperii Electorum Principium & statuum mentem & intentionem super isto Civitatem Rostochiensem & ejus Jura privilegia ac Immunitatem hinc inde speciatim concernente puncto semper fuisse & etiamnum esse de consensu supra dictorum ordinum attestatur eo dem die & anno.

(L.S.)

CANCELKARIA MOGUNTINA.

No. 3.

FERDINAND der Dritte.

Sich und Wollgeborner / Ersamer / Liebe getreue / welcher Gestalt bey uns N. Bürgermeister und Rath unser und des Heiligen Reichs Stadt Rostock in Väterehenigkeit sich beschweret / daß der Stadt der von undenklichen Jahren ihr zustendiger Haven zu Warnemünde vermüße des Frieden-Schluss von der Cron Schweden annoch nicht restituiert und abgetreten worden / und derowegen gebeten haben / das habet Ihr aus dem Einschluss mit mehreren zu vernehmen / Wantt mit ermelter Zoll von besagter Cron Schweden / occasione belli eigenmächtig uffgerichtet worden / und derowegen vermüße des Intrumenti Pacis wiederumb zu cassiren und der Orth unter die restituenda und evacuanda gehörig / Als beschlen wir Euch gnedigst / daß Ihr solches den Schwedischen Deputirten beweglich zu Gemüthe führet / und bei denselben daran seit / damit gedachter Zoll zu Warnemünde / dem Frieden-Schluss gemees / wiederumb genzlich abgethan / und der Stadt solcher Orth fürderlich restituiert und abgetreten werden müge ; An dem vollenbringet Ihr unsern gnedigsten Willen und Meinung / und Wir verpleiben Euch benebenst mit Kayser: Gnaden wollgewogen / geben Ebersdorff den 20. Augusti Anno 1649.

FERDINAND.


Nam. 4.

Zweil die / bey hiesigem Reichs-Tag wegen Bretten und
 Behrden anwesende Königl. Schwed. Gesandten sich verneh-
 men lassen / daß hochgedachte Cron Schweden des Herzogen
 zu Mecklenburg Fürstl. Gn. und dero selben angehöriger Stadt Ros-
 stock gedachte Schanz Warnemünde lenger vorzu enthalten nicht
 gemeint sey.


Als seind Chur-Fürsten und Ständ der ohnmaß geblichen Mei-
 nung / daß Ihr Käyserl. Maytt. vor sich selbst und auff gesambter Chur-
 Fürsten und Ständen gehorsamstes Einrahten an Ihr Königl.
 Maytt. in Schweden ein beweglichs erinnerungs und requisition
 Schreiben des Inhalts abgehen zulassen / daß diese Schanz vermög
 des Frieden-Schluss / und nach besag deren Keyserl. plenipotencia-
 riorum und im Rahmen Churfürsten und Ständen von dem E. ur
 Mainzischen Reichs directorio ertheilter attestatorum ohne fernern
 Verzug entrennet und weiterer einzug des Zols und Licenten der En-
 den nicht angemasset / sondern den jenigen ubertassen und restituiret
 werde / denen es in Krafft erstgedachten Frieden-Schlusses und von al-
 ters hero gebüret / und ob woll von obbesagten Schwedischen Gesand-
 ten die Andeutung beschehen / daß die Herrn Herzogen zu Mecklen-
 burg dero wegen bey dem Königl. Schwedischen Hoff ferner einkom-
 men mächten / so kan man doch an Seiten Chur-Fürsten und Stände
 solches nicht vor thunlich / sondern mus davor halten / daß wann je
 hierunter wieder verhoffen anderen Theils noch etwas Mißverstande
 obhanden sein solte / daß Ihr Käyserl. Maytt. einige Commissarien
 zu verordnen hette / welche mit der Königl. Schwedischen Regierung
 zu Wismar durch güetliches Vernehmen communiciren / damit für-
 derlich der Zweck restitutionis erhalten werde / und Ihre Kayserl.
 Maytt. nach gestalt hierüber ersolgender Antwort und Verrichtung /
 sich ohne / oder mit Raht Chur-Fürsten und Stände als dan weiters
 entschliessen mögeu / welche sich sambt der Anwesenden Raht / Pott-
 schafften und Gesandten zu dero allergnedigsten Kayserl. Hulden gehor-
 samst befehlen / Regensburg den 16. Maij Anno 1654.


(L.S.)

Chur-Fürstl. Meinzische Canzley.



fol 12.





abfuit, ut talis propositio in animum Dil. Ve-
ut ingrata potius deprehenderetur, adeo, ut
næ requisitioni nostræ nulla omnino gratia fie-
retur, ut ipsum jus nostrum in periculo confi-
ciendum utiq; fuit, ut juris nostri exercitio an-
tuleretur.

Rostochienfes hanc Nobis necessitatem non
ruccione Veteris Fortalitii ad la bores & impen-
gerent, sumptibus nostris utilius fuisset consul-
super illatam Nobis injuriam, & pragmatice
onis contemptum, hujus insuper incommodi
nt. Superessent per DEI gratiam media, quæ
acere possent; sed, quemadmodum Fortalitii
aliud intendimus, quam ut Navigantium debi-
ris nostri aliqua ratio habeatur, ita hisce pro-
amur, Nos quoq; nihil contra tranquillitatem
os, nec contra Imperii Rom. Constitutiones
os esse, aut antiquius habituros quidpiam, quam
tentil'acis tenaciter inhære. Quod vero an-
cessores Nostros, Reges Sveciæ, & suos Proge-
recordari amet, hoc quidem auditu & percepti-
ndum, ac eandem quidem Nos etiam, ut & ne-
vinis, aliaq; amici animi pignora magni omni-
harius aliquid habemus, quam eandem, à Ma-
tuis Officiis & beneficiis tractam, in posteros
& si virtutem Dil. Vestræ conjecturâ assequi
edamus, apud Eandem adhuc oblivione non-
regum, G U S T A V I A D O L P H I P a-
H R I S T I N Æ, in Domum Megapolita-
rbis, utrum aliqua Domui Vestræ amicitia ar-
erint. Sane, si mortalium vices animo altius
t, causam haur dubie habitura est, cur antiqua
noria animi replicet.

B 2

Noa